



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XI. De magistris scholasticis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

procedit de ore Dei. Vnde cum saepe contingat, quod episcopi propter occupationes multiplices, vel in ualitudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias, (ne dicamus defectum scientiarum, quod in eis est reprobandum omnino, nec de cetero tolerandum) per se ipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas dicecesses & diffusas, generali constitutione sancimus, ut episcopi viros idoneos ad sanctae prædicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere & sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cum per se idem nequiverint, solicite visitantes, eas verbo ædificant & exemplo, quibus ipsi, cum indiguerint, congrue necessaria ministrent, ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto. Vnde præcipimus tam in cathedralibus, quam in aliis conuentualibus ecclesiis viros idoneos ordinari, quos episcopi possint coadiutores & cooperatores habere, non solum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, & pœnitentiis iniungendis, ac ceteris quæ ad salutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, districte subiaceat vltioni.

XI.

Concilium
Lateranense
sub Alexandro III. c. 18.

Quia nonnullis propter inopiam & legendi studium & opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi Concilio pia fuit institutione prouisum, ut per unamquamque cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos eiusdem ecclesiae, aliosque scholares pauperes, gratis instrueret, aliquod com-

<sup>ANNO
CHRISTI
1215.</sup> petens beneficium præberetur, quo & docentis re-
leuaretur necessitas, & via pateret discentibus ad
doctrinam. Verum quoniam in multis ecclesiis id
minime obseruatur, nos prædictum roborantes
statutum adiicimus, vt non solum in qualibet ca-
thedrali ecclesia, sed etiam in aliis, quarum suffice-
re poterunt facultates, constituatur magister ido-
neus a prælato cum capitulo, seu maiori ac saniori
parte capitulo, eligendus, qui clericos ecclesiarum
ipsarum, & aliarum, gratis in grammaticæ facul-
tate ac aliis instruat iuxta posse. Sane metropoli-
tana ecclesia theologum nihilo minus habeat, qui
sacerdotes & alios in sacra pagina doceat, & in his
præsertim informet quæ ad curam animarum spe-
ctare noscuntur. Assignetur autem cuilibet magi-
strorum a capitulo vnius præbendæ prouentus, &
pro theologo a metropolitano tantumdem, non
propter hoc efficiatur canonicus, sed tamdiu redi-
tus ipsius percipiat, quamdiu perstiterit in docen-
do. Quod si forte de duobus magistris metropoli-
tana ecclesia grauetur, theologo iuxta modum
prædictum ipsa prouideat: grammatico vero in
alia ecclesia suæ ciuitatis siue diœcesis quod suffi-
cere valeat faciat prouideri.

XII.

In singulis regnis siue prouinciis fiat de trien-
nio in triennium, salvo iure diœcesanorum pon-
tificum, commune capitulo abbatum atque priorum
abbates proprios non habentium, qui non
consueuerunt tale capitulo celebrare, ad quod
vniuersi conueniant, præpeditionem canonicam

Y iiij